

10829 1738, 10 12
FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
CONR. WILHELMUS
Strecker, JCTUS,

PRÆFATÆ FACULTATIS, ET JVDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PRO-
FESSOR COD. PVBLICVS ORDINARIVS, CI-
VITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. ea conditione. 14. C. de rescind. vendit.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM XXVII. AVGVSTI, MDCCXXXVIII.

LECTOREM BENEVOLVM

PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

FACULTATIS IURIDICÆ
DECANVS.
CONR. WILHELMVS
Magister
PRÆFATUS FACULTATIS ET IUDICI
LECTORALIS PROVINCIALIS ASSessor, PRO
FESSOR COD. PVBLCVS ORDINARIVS, CI
VITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS.

AD
AVDIENDAM LECTIÖNEM CARSORIAM
ad l. de conditione. l. C. de regim. studii.
ET
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DEM. XVII. NOVEMB. M. DCC. LXXIII.
LECTORVM BENEVOIAM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HENNINGII
Acad. Typogr.



Inter contractus consensu initos frequentissima est emptio-venditio, humano commercio quam maximè necessaria, cujus forma consistit in consensu circa rem & pretium, ita ut ad ejus substantiam rei tradendæ interventio non requiratur, adeoque quam primùm partes contrahentes de re & pretio sunt amici, & pure consenserunt, contractus suam in regula habet firmitatem, ac propterea neuter, altero invito, recedere poterit, nec refert consensus quocunque modo, sive verbis inter presentes, sive per organon aliquod intermedium, puta, epistolam, procuratorem aut nuntium inter absentes fuerit declaratus, modo sit simultaneus. *L. 1. §. 2. de cont. empr. L. 2. §. 2. ff. de O. & A. MANTICA de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 4. n. 3.* Desideratur autem ratione rei vendendæ, ut merx sit certa ac determinata, ubi omninò notandum, quod res diversimodè vendantur emantur; venduntur enim vel tanquam corpora, sive species, & per aversionem, ita ut nulla quantitatis vel demonstrationis tantum gratia illius mentio fiat; vel ad mensuram & quantitatem, nach dem Anschlag, tali modo, quo pretium ex mensura sive quantitate formetur, & mensura, numerus vel pondus taxationis gratia exprimitur. Priori modo subsistit emptio, si incipiat à nomine designante certum corpus cum suis
finibus,

finibus, vel alio modo idoneè expressum & postea enunciative tantum mentio de mensura subjiatur: v. g. vendo tibi hoc prædium hisce finibus circumscriptum, quod est 20. jugerum, aut vendo tibi Prædium 20. jugerum, 200. florenis, qui habet tales fines sive limites, hoc casu pro pretio constituto omne illud venditum esse censetur, quod intra illos fines designatos continetur, licet forsitan in præcedente demonstratione error fuerit commissus, *FRANTZK. tit. de act. empr. n. 114.* ita ut secundum communiorem Doctorum opinionem pretium neque in favorem venditoris, si major rei quantitas deprehendatur, sit augendum, neque in commodum emptoris, si minor rei venditæ quantitas reperitur, sit minuendum, sed utrobique sive quid desit, sive abundet, id totum vel damno vel lucro emptoris cedat, cum non ex modo & mensura pretium æstimeretur, sed ex corpore certis finibus demonstrato, *arg. L. 40. §. 2. ff. de contrab. empr. RAVCHBAR. 1. q. 21. n. 9.* Atque hanc sententiam etiam in praxi receptam esse testatur *FRANTZK. tit. de act. empr. vendit. n. 118.* potissimum quando in casu, si res minor reperitur, inter contrahentes monitum fuit, mensuram non adeo rigide exigendam esse, quod & ex eo colligitur si vox *circiter* fuerit addita *arg. L. 54. ff. de cont. empr.* Posteriori modo ad mensuram vel quantitatem contracta censetur emptio, si in singula jugera pretium vel distributive, e. g. pro quolibet 10. vel collective pro omnibus jugeribus unum pretium determinatum fuerit, requiritur tamen, ut hoc casu contractus à mensura sive quantitate initium acceperit. v. g. tibi 10. jugera fundi Semproniani pro 100. vendo *CARPZ. lib. 5. Resp. 25. n. 3.* Quo casu principaliter modi sive quantitatis habetur ratio, & venditor tantum partes rei pro ratione mensuræ adjectæ, & non totum vendidisse censetur: Quare inventa majore rei quantitate, superfluum retinet venditor, aut emptor pretium auget. Si verò, adhibitâ mensurâ, minus appareat, defectus à venditore suppletur, vel pretii partem tenetur remittere *L. 40. §. 2. de contrab. empr. CARPZ. cit. loc. n. 16. seqq.* Præter rem ad emptionis

ptionis venditionis objectum ex parte emptoris requiritur
pretium consistens in nummis ad numerum solvendis *L. 1. §.*
1. ff. de contrab. empr. si ex parte emptoris pecunia & res pro-
mittatur animo contrahenda emptio, sustinetur nego-
tium tanquam emptio & venditio & res additamenti loco
habetur *arg. L. 21. §. 4. ff. de act. empr. vend.* Si contrahentes
animum expresse non declaraverint, nec aliunde de ipso-
rum mente constet, denominatur negotium ex eo, quod
prevalet, & alterum, quod superatur pro additamento ha-
betur *L. 6. C. de pact. int. empr. §. vendit.* Si utrumque est
aequale in dubio partes permutationem tanquam antiquio-
rem, firmiorem, ac digniorem iniisse censentur. Huic senten-
tiae ad stipulatur Bartolus cum suis asseclis, quos ad longum
recenset *FACHIN. Lib. 2. c. 44. lit. d.* Insuper sit pretium ve-
rum, non simulatum, certum, ac justum, quod Principis
vel superioris lege sive decreto definitum, vel communi
hominum, qui rei qualitatem intelligunt aestimatione & judi-
cio & non privato alicujus affectu, est constitutum *L. 63. pr. ff.*
ad L. falcid. His positis emptio venditio suam habet perfectio-
nem & contrahentes ita vinculat, ut venditor ad rem praestan-
dam, & emptor ad pretium numerandum actionibus pro-
ditis compellatur. Habet tamen & hic contractus maximè
frequens suos inimicos, quos inter primum tenet dolus, qui
consensui & bonae fidei, quae hoc in contractu maximè re-
quiritur, est contrarius *L. 5. C. de rescind. vendit. reddit. illum,*
si ei causam dederit, ipso jure nullum *L. 9. pr. de dol.* Me-
tus justus facit rescindi hunc contractum alioquin validum,
L. 7. §. fin. C. de his, quae ut met. causi. Error, qui scientiae re-
fragatur & per consequens voluntatem excludit, ideo si con-
trahentes errent circa id, quod principaliter respiciunt, na-
turaliter nullus est contractus *GROT. de J. B. §. P. lib. 2. c.*
11. n. 6. Simulatio, obscuritas, ambiguitas suo modo em-
ptioni venditioni sunt contraria, & eam variis in casibus fa-
ciunt corrumpere. vid. *MANTIC. de tacit. §. ambig. convent. lib. 1.*
tit. 16. n. 2. seqq. Pacta vero adjecta v. g. ut Titius simul in-
habitaret aedes venditas vel ut tributa solvantur, & promit-

tens renuat vel moram committat, non agitur ad rescissionem, sed, salvo contractu, ad id, quod interest, nam pacto non adimpleto, agitur ad implementum & non ad rescissionem L. 14. C. de rescind. vendit. Ad quam legem de contrariis emptionis venditionis publice ex cathedra fusus discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS DOMINVS

JOHANNES ANDREAS BENZ,

Qui natus est Remlingæ in Franconia Anno MDCC VI. die 1. Aprilis, Patre JOHANNE SALOMONE BENZ, Illustrissimæ Domus Castell Remlingensis Præside Cancellariæ & Præsidente primario, jam pie defuncto, matre adhuc superstite, REGINA BARBARA, Filia LVDOVICI CASIMIRI BESTELII, Illustrissimæ Domus Limpurgensis Directoris Aulici. Postquam prædicti parentes ipsum per sacræ fontis lavacrum in societatem christianorum recipiendum curarunt, eoque summam curam impenderunt, ut christianæ religionis fundamenta poneret, privatæ informationi eum mandarunt. Posthæc adultior factus, ad Gymnasium Suevofurthanum missus, ibique fideli informationi Dni LAVTERBACHII, M. ENGLERTI, Con-Rectoris, & M. KLEIBERTI, Rectoris, nec non in Theologicis & LL. OO. B. Lic. HEVNISCHII, P. P. & Pastoris primarii, & in mathematicis M. JOH. ENGLERTI, P. P. & Archi-Diaconi, usus fuit. Ex Gymnasio Suevofurthano dimissus, jussu Parentis, pie defuncti, Academiam Jenensem anno 1724. Mense Maji adiit, ibique Magnifico Pro-Rectore, JOHANNE REINHARDO RVSTIO, LL. OO. P. P. in album Academicum relatus, & in numerum Studioforum receptus fuit. Philosophiæ fundamenta Duce SYRBIO & WALCHIO jecit, & cum studio Theologico inservire jussus à parentibus fuerit, JOHANNEM FRANCISCVM BVDDEVN, Theolog. Doctor. & P. P. in Theologia Thetica, polemica & morali itaque JOH. REINHARD. RVSTIVM adiit. In LL. OO. B. D. JOH. ANDR. DANZII & prælaudati RVSTII, in Rabbincis M. JOH.

JOH. GOTOFR. TYMPE informationi se commisit. Absolutis studiis Academicis patrios lares visitavit, posthac Zittaviam in Lusatia superiori se contulit. Ibi oblata ipsi sparta morum studiorumque magistri, apud generosiss. Dnum de Rothkirch, Dnum in Alt-Cranz, in confinio regni Polonici, eam in se suscepit, perque duorum annorum spatium ibi commoratus est. Ex consilio Medicorum à sanctiore litteratura ad Juris studia transit, & anno 1731. Mens. Dec. Academiam Wittebergensem adit, ibique sub Rectore Magnifico D. SCHROEBERO, Albo Academiae insertus, inque numerum civium Academicorum receptus fuit. In Jurisprudencia Duces habuit Cel. Dnum LEYSERVUM, BASTINELLERVUM, & imprimis WERNHERVUM, jam pie defunctum, cujus mortem adhuc dolet. Ad praxin Juris aspirans, Collegio pratico-elaboratorio praedicti Dni WERNHERI interfuit, nec minus apud Dnum D. OERTELIVM, Practicum Wittebergensem felicissimum, nunc b. defunctum in praxi magis magisque se firmavit. Absolutis studiis, & cursu Juridico, in Facultat. Witteberg. pro praxi, ut vocant, examinatus & sub praesidio Dni D. WERNHERI ante discessum ex Academia, de *rescissione venditionis Geradicae*, publice disputavit. Zittaviam reversus, ab Amplissimo Senatu Zittaviensi AO. 1734. in numerum Advocatorum receptus fuit, ibique causas clientum in foro peroravit, ac impostertum, ut eò felicius perorare posset, praemia studiorum appetere se eum constituit, mentem suam literis Ordini nostro exhibitis exposuit. Moribus igitur majorum insistentes tempus ad examen rigorosum ipsi indiximus, textusque ex utroque jure ab initio examinis explicandos, communicavimus, quos dextre eaodavit, atque sibi comparatam juris scientiam in examine ita nobis comprobavit, ut nullum calculo omnium fuerit dubium, quin dignus judicatus fuerit, qui ad reliqua specimina inauguralia admitteretur, & laurea Doctorali coronaretur. Proxima itaque die Mercurii 27. Augusti lectionem cursoriam ad rubricatam legem & Dissertationem Inauguralem

DE

DE
LEGITIMA PARENTVM, OB
COMMVNIONEM BONORVM
CONIUGALEM, IN FORO
ZITTAVIESI EXVLE

habebit. Quibus actibus ut Rector Universitatis Magnificus, Facultatum Domini Decani, Professores, Doctores, Magistri, ac Cives interesse velint, ea qua decet, humanitate, invitantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Juridicæ die 24. Augusti MDCCXXXVIII.



Erfurt, Diss., 1730


ULB Halle
005 367 816



3

V018







10829

1738,10

12

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
CONR. WILHELMUS
Strecker, JCTUS,

PRÆFATÆ FACULTATIS, ET JVDICII
ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PRO-
FESSOR COD. PVBLICVS ORDINARIVS, CI-
VITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM
ad L. ea conditione. 14. C. de rescind. vendit.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DIEM XXVII. AVGVSTI, MDCCXXXVIII.
LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

